

D. JO. FRID. MAYERI,
 AD
 PRÆCELLENTEM VIRUM
 DOMINUM
**M. IMMANUELEM
 PROELEUM,**

Ampliss. Philosoph. Ordinis in Celeberrima
 Lips. Acad. Assessorem,

De,
DIPLOMATE,
 ab

Illustri LEIBNITIO
 adducto,

Henrici VII, ex venenata Eucharistia obitum
 negante,

EPISTOLA.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to include the following elements:

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to include the following elements:

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to include the following elements:



PRÆCELLENTI ATQVE CLARISSIMO
V I R O

DN. M. IMMANUELI
PROELEO,

Ampliss. Facult. Philosoph. Assess. in Celeber-
rima Lipsiensi Academia longe dignissi-
mo,

S. P. D.

JO. FRID. MAYER, Lips. D.



Um eruditas tuas, de *Hosiis Cali-
ccque*, prodigiosa prorsus impie-
tate *veneno infectis* theses mihi
offers, meumque insimul, quid de
Henrici VII. Imperatoris exem-
plo sentiam, exquiris iudicium,
non possum, cum plura multo
tibi debeam, VIR clarissime, de-
siderio tuo deesse. Scilicet com-
munis illa, & magno Historicorum consensu animis
hominum impressa opinio, de Henrico VII. Imperat.
veneno in sacris per Monachum Dominicanum inter-
empto, innocentiae testimonio, quod cuidam illius odi-
nis homini, *Petro de Castro Reginaldi*, Johannes Bohe-
miæ Rex, *Henrici filius* præbuit, quodque Codici suo
Juris Gentium diplomatico Part. I. pag. m. 188. Illu-
stris & nunquam sine laude mihi nominandus *Leib-
nitius* inseruit, nondum tollitur. Dudum enim est,
quod

quod in opere isto, quantumvis pulcherrimo, & rarissimarum rerum collectione instructo, desiderari id a cordatioribus cœpit, quod præter ante edita, quæ jam autorum suorum fide stabant, circa reliqua distincte semper additum non sit, num ex authenticis exemplo, ipsi *illustri Editori* viso & adhuc superstite, an vero ex undecunque conscripto incertæ autoritatis Codice, expressa fuerit. Ipse statim titulus Libri, hoc dubium injicit Lectori, dum ad Regionum, aliorumque archivorum fidem, dissimulato eorum nomine provocat, simulque de propriis Collectaneis, ut & Bibliothecæ Guelpherbytanæ apparatu, mentionem injicit. Quæ res cum diversissimi generis sint, eandem apud æquos judices fidem vix inventient. Quod non ideo dico, quod detanti Viri aut judicio aut candore dubitem, aut ut prudentiæ ipsius hoc quicquid est forte necessariæ cautelæ vitio vertam, aut denique fidem promissis detraham, quæ in Præfatione libri extant, spondentque fore ut absoluto operi, nomina Autorum, qui symbolas eo contulerint, subjungantur. Nectamen, quæ est humanitate *Illustris Leibnitius*, Fautor & Concivis noster, ægre feret, ut putem, quod ipsi privata rei scientia sufficere scribenti potest, id eandem rei certitudinem nondum adeptis Lectoribus sufficere haud quaquam posse, adeoque velut in pendenti esse earum rerum autoritatem, donec eadem ab ipso distinctiori fontium indicio adstruatur.

Equidem circa præsens instrumentum, *Vir Summus*, ne quid dubii esset, singulari industria videtur cavere voluisse, expresso *Stephani Baluzii* nomine, quod in præcipuo integritatis honore apud eruditos esse, & merito, quidem haud ignorabat. Sed satius tamen fu-

fuiſſet, de ipſo quoque *Baluzio*, unde is idem, qua occaſione ac forma acceperit, quæ ſit inſtrumentum externa conditio, quæ ſedes, unde repeti poſſit, indicaffe. Quantaunque enim ad credendum, aut *Leibnitio*, aut *Baluzio* cupidine ducamur, fidem tamen rerum geſtarum, in ſolo bonorum & doctorum Virorum aſſerto collocare, quam ſit intutum, ipſi Optimi doctiſſimique Viri, haud difficulter judicabunt.

Quare autem ſuſpicioni hic indulgeamus, creberrima primo faciunt impoſturæ atque ſuppoſitionis Monachalis, quæ paſſim deprehenſa ſunt exempla. Quid Benedictinis, occaſione ficti *diplomatis Lindaviensis* acciderit, & quam turpiter ſteterint, æterna *Heideri* atque *Conringii* ſcripta docent. Quam cauſam, cum inſigni infamiæ augmento, haud ita pridem reſuſcitavit, auctor juſtæ deſenſionis, editæ Conſtantiæ 1691. cujus nomen quamvis titulus libri non exprimat, nec de eodem Erudiſſimo ſcriptori *hiſtoricarum Vindiciarum pro Cenſura Conringiana*, quæ prodierunt Lindaviæ fol. 1700. certo videatur conſtituiſſe, dum p. 1. operis, *Raſlerum*, *Bodlerumve*, vel quemcunque alium illius deſenſionis autorem tangit, non aliud tamen cenſeri debet, quam *Maximiliani Raſleri*, cujus manu ſcriptas ad *Venerabilem Mabillonium*, Fauctorem valde noſtrum literas, ipſumque ab eo editum librum, dono amicis in Gallia miſſum, qui tum præſens ibidem erat, conjunctiſſimus Collega noſter celeberrimus *Palchentius* ipſe vidit. Nolim reliqua omnia temere credere, quæ Benedictino nomini non ita pridem *Richardus Simonius* in Epistoſis imputavit, nec tamen omnibus, aut plerisque omnibus derogare fidem, ſi cum primis quæ circa *chartam immunitatis*

Ger-

Germani Parisiorum Episcopi, Bullam Sabbatinam Johannis XXII, Alexandri V. Privilegium Medardi invicte demonstravit Jo. Launojus attendam. Neque Benedictinos, Carmelitas, aut alios Monachorum ordines, in ruborem fide sua dare posse Dominicanos, ex Theophili Raynaudi Jesuitæ Immunitate a censura Cyriacorum, quæ ultimo operum ipsius tomo recensetur, facile nunc confirmare possem. Neque tamen est, quod quis hoc modo, omnem diplomatum ac scriptorum fidem tolli putet. Nego enim id fieri, si quæ nudam rei narrationem contineant, quæ vera sit nec ne nullius omnino referat, ab illis quæ certum aliquod acquirendi commodi, aut declinandi incommodi genus propositum sibi habent, recte discernantur. Illis ut facile credimus, ita in his haud immerito suspicaciores sumus.

Deinde in ipso instrumento nonnulla imo omnia ferme sunt haud parum dubia. Quis enim ille *Petrus de Castro Reginaldi* fuerit, & quæ hunc hominem causa impulerit, ut totius Dominicanæ nominis dignitatem tuendam sibi susciperet, non adparet. Quale quid si a capite ordinis, aut ipso illo cujus fama petebatur, *Bernhardo de Montepelutiano* factum fuisset, res utique se rectius haberet. Cum *Henricus VII. A. C. 1313.* perierit, statimque mortem ipsius, uti historia testatur, hæc de veneno dato fama consecuta fuerit, quare ad annum 1346. expectandum sibi defensor statuit, quo de vindicanda innocentia allaboraret. An vero credibile est, homini Gallo, & in angulo Galliæ latentis, plus curæ in fama *Ordinis Predicatoris* asserenda, quam quidem Germanis Italisque fuisse, sub quorum oculis omnia patrata erant? Et est alias malignum defensionis genus, quod alieno a criminantibus loco

loco instituitur. An est quisquam qui putet, tam facilem se Johannem fuisse, ut cuique privato, alienæ innocentiae testimonium curiose petenti, statim gratificaretur, aut vero ordinem Dominicanorum tot seculis fuisse passurum, ut idem lateret, nec in conspectum a quoquam proferretur? Antequam enim *Magnus Leibnitius* id ederet, nusquam visum fuit, nec ipse mentionem illius, nisi in Chronico MSS. cujus tamen nec titulum nec autorem exprimit, usquam fieri fatetur. Hæc quidem apud *Wernerum Rolsinkum* in fasciculo temporum fol. 74. lego: *Sed tamen Ordo (Dominicanorum) excusatur de his (h. e. internecione Henrici VII. per Eucharistiam veneno infectam) per quasdam literas testimoniales quas apud se habet. Cui placet, requirat hujusmodi apud Professores ejusdem ordinis, & plene informabitur de his ad omnem copiam.* Præsens tamen id esse, unde constabit, & impudentiæ Dominicanorum talia fingentium fidem quis adhibeat? Stylus præterea diplomatæ insolentior, & plane Monachalis est. Subscriptio aut subsignatio Instrumento deest, argumenta jejana valde sunt, omniaque quæ ad suspicionem recentioris originis, suppositæque autoritatis, facere possunt, abunde suppetunt.

Sed hæc quidem ut pluribus agam, nec præsentis Epistolæ modus, nec laborum qui me urgent aliorum moles patitur. Quod unum itaque licet, *Lipsiæ* dulcissimæ patriæ, quam Tu docendo *Vir Præcellens* quotidie ornas, cujusque in me memoriam, gratissima, variarum rerum commemoratione renovasti, de Te Cive, Tibi de tantæ Civitatis jure, quod quidem, consecutus es quam amplissimum, gratulor, & ut porro feliciter omnia utrique cedant. D E U M
pre-
cor;

QK
Ti
2754

cor. Fac vero feliciter, quod opto, Tuæ meæque
Lipsiæ redditus, quod vehementer Te rogo *Clarissime*
Prælee, summisque Viris, interque illos *illustri ROMA-*
NO Tuo Meoque, qui res publicas ibidem illustant,
& exornant, quanti eos Gryphiswaldia, pro eo ac de-
cet, faciat, quo in eos animo sim confirma, mutuum-
que nostrum amorem ale. Me quidem semper habe-
bis verum atque serium verissimarum illarum quas
nobis monstrasti virtutum æstimatorum cultorem-
que, nec in promovendis commodis Tuis, sicubi occa-
sio tulerit, segnem unquam deprehendes. Vale ex a-
nimi sententia.

Scribebam 12. Octobr.


Anno 1703.

GYPHISWALDIÆ,
Typis DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
Reg. Acad. Typogr.



X 2857880

nc



Farbkarte #13

B.I.G.



Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

2

MAYERI,

M VIRUM

UM

UELEM

EUM,

inis in Celeberrima
efflorem,

ATE,

NITIO

Eucharistia obitum

L A.

